

Die 5 septembris

**SANCTÆ TERESIÆ DE CALCUTTA,  
VIRGINIS ET FUNDATRICIS**

**Sollemnitas**

**ANT. AD INTROITUM**

**Cf. Mt 25, 34-35**

Veníte, benedícti Patris mei, dicit Dóminus:  
sitívi et dedístis mihi bíbere;  
ecce, ego nunc do vobis aquam vitæ æternæ.

**Dicitur** Glória.

**COLLECTA**

Deus, qui beátam Terésiam, vírginem, vocásti,  
ut amóri Fílii tui in cruce sitiéntis  
exímia caritáte in paupérrimos respondéret,  
da nobis, quæsumus, eius intercessióne,  
in afflíctis frátribus Christo ministráre.  
Qui tecum vivit et regnat  
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,  
per ómnia sáecula sæculórum.

**Dicitur** Credo.

**SUPER OBLATA**

Súscipe, Dómine, obséquium humilitátis nostræ,  
quod tibi in sollemnitate beátæ Teresiæ exhibémus,  
ut, ex huius participatióne mystérii,  
nos caritáte flagráre et sollicitú-dine salútis  
animárum concédas combúri.  
Per Christum Dóminum nostrum.

**PRÆFATIO**

*Missionaria caritatis*

**V/.** Dóminus vobíscum.

**R/.** Et cum spírítu tuo.

V/. Sursum corda.

R/. Habémus ad Dóminum.

V/. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R/. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,  
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:  
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui beátæ Terésiaë  
Christo sitiénti in cruce ita adhærere dedísti,  
ut, missionária facta caritátis,  
páuperum destitutióne in se suscíperet  
et, iisdem insérviens,  
lumen amoris tui misericórdis effúnderet.

Et ídeo cum Angelis et Archángelis  
cumque múltiplici congregatióne Sanctórum  
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicétes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth ...

ANT. AD COMMUNIONEM

Mt 25, 40

Amen dico vobis: Quám diu fecístis uni  
de his frátribus meis mínimis, mihi fecístis, dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM

Sacra mystéria quae sumpsimus, Dómine Deus noster,  
caritátis ardórem in nobis fóveant,  
quo beáta Terésia laeto ánimo in paupéribus  
Iesum Christum Fílium tuum diléxit eique servívit.  
Qui vivit et regnat in sácula saeculórum.

## LECTIONES

- LECTIO I** Is 58, 6-11: «*Frangere esurienti panem tuum*».  
Hæc dicit Dominus: Nonne hoc est ieiunium, quod ...
- PS. RESP.** Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9. 10-11  
**R/.** (2a): Benedicam Dominum in omni tempore.
- LECTIO II** 1 Io 4, 7-16: «*Si diligamus invicem, Deus in nobis manet*».  
Carissimi: Diligamus invicem...
- ALLELUIA** Cf. Mt 11, 25: Benedictus es, Pater, Domine cæli et terræ, quia  
mysteria regni parvulis revelasti.
- EVANG.** Mt 25, 31-46 (longior) *vel* 31-40 (brevior): «*Quamdiu fecistis  
fratribus meis minimis, mihi fecistis*».  
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum venerit Filius  
hominis ...